4

DISSERTATIO INAUGURALIS,

DE

Humorum in Morbis Contagioſis Aſſimilatione,

IN TENTAMINE

DE VARIOLÆ NATURA ET SEDE,

INDAGATA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JACOBUS CURRY,

HIBERNUS.

Societ. Reg. Med. Edin. Socius.

NEC NON

Societ. Nat. Stud. Sodalis.

Nullius addictus jurare in verba magiſtri,
Quo me cunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes. HOR.

Inſanum quidam eſſet, et in ſe contrarium, exiſtimare, ea, quae adhuc nunquam ſacta ſunt, fieri poſſe, niſi per modos adhuc nunquam tentatos. BACON. NOV. ORGAN. SCIENT.

Ad diem 13. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIV.

Spectatiſſimo Viro

JOHANNI O'NEILL,

A Secretis

Regiae Majeſtatis Hiberniae

Conſiliis,

Et Comitatus Antrimenſis

Plebis Tribuno;

Antiquiſſima Proſapia

Illuſtri,

Morum ſuavitate, benevolentia, Virtute omnigena,

Illuſtriori;

Haſce ſtudiorum primitias,

Exiguum, ſed

Sincerum comprobationis teſtimonium,

Ob firmum patriae amorem,

Qui ſemper,

Senatorem fideliſſimum,

Populo forti libertatem moliente,

Rite et legitime electum,

A mercenariis et corruptis,

Horum qui rebus praeſunt,

Servis,

Diſcriminat,

Summa cum obſervantia

Sacras eſſe voluit

Miles aeque ac civis Hibernicus

JACOBUS CURRY.

Johanni Abernethy,

Armigero;

hocce

qualecunque sit

tentamen,

summa cum observantia,

et

optimis cum votis

offert

Auctor

DISSERTATIO INAUGURALIS,

DE

Humorum in Morbis Contagioſis aſſimilatione, in tentamine de Variolae Natura et Sede, indagata.

OMNIA in medicina tentamina, quae non recta ad promovendum uſum pertineant, exiguum momentum ad ſcientiam provehendam adferre, nuper vulgo credi coeptum eſt. Quae ſententia, ſi morborum natura, varia quae eos excitent, horumque proprietates, et quibus in rebus modiſque quaeque agant, rite intellecta eſſent, vera profecto eſſet. Sic enim nihil reliqui nobis foret, quam ut remedia proprietatibus praedita, ad ſingula propoſita medendi conſilia perficienda congruis, anquireremus. Quod ita tamen non eſſe, dictu ſupervacuum eſt. Et, quamdiu non eſt, ea, quae deſiderantur adhuc, quantum optima ratione poterimus, in-

 veſtigare,

veſtigare, et detegere conari, ſat habendum erit; certum quemque, quo ad ſingulorum cognitionem provehimur, gradum, propiorem uſque ad univerſae ſcientiae comprehenſionem, fieri reputantibus.

Quod praefatus nulla praeterea, quare hoc prae caeteris argumentum, de quo ſcribam delegerim, utar excuſatione.

Tot tantaque futilia de morborum naturis et cauſis ſcripta ſunt, tantis involuta tenebris, huc omnia pertinentia ſunt, ut ſi nondum Van Helmontii, nondum Paracelſi, opera adhuc extarent, quantumvis credulum genus humanum eſt, eos ſic intelligentiae ſuae verba dari paſſuros fuiſſe, vix credibile exiſtimaretur. Ignorantiae tenebriſque, quibus omnes tum ſcientiae, omnes cognitionis partes, obrutae ſunt, nihil adjici poterat. Solaque ſcientiae provehendae via, primus ad veram cognitionem gradus, erat, abſurdas et diſcrepantes opiniones, quae ubique receptae eſſent, repudiare, errorum quaſi ruderis tantos cumulos, quo propius ad veri principium perveniri poſſit, amoliri; et earum in locum rationem certam, ſibique omnibus partibus cohaerentem, a compertis et exploratis rebus pendentem, ſubſtituere. 'Fruſtra magnum expectatur augmentum in ſcientiis ex 'ſuperinductione et inſitione novorum ſuper vetera; 'ſed inſtauratio facienda eſt ab imis fundamentis, niſi 'libeat perpetuo in orbem circumvolvi, cum exili et 'quaſi contemnando progreſſu *.'

In

* Bacon. Nov. Org. Scient.

In hac abyſſo tum humana cognitio recondita eſt, et noctis atrae propius umbris admota, cum illuſtris Baconus, verum ſcientiae tramitem poſteris inveſtigatoribus praemonſtrando, tanquam alter Hermes, ſapientiam homines docuiſſe, dicendus eſt. Is, ſumma diligentia adhibita, Augaeum, errores detegendi, et nubes quae per tot ſecula ſcientiam obſcuraverant, in aethera purgandi, laborem ſuſcepit; ſimplicemque et naturalem illam rationem, qua ſola ad propriam ſcientia dignitatem reſtitui poſſet, cum magno hominum bono demonſtravit.

Quam vero dolendum eſt, quod caſta Verulamiana ſcientias percolendi ratio, tanto per illum ingenii acumine reperta, tanta per immortalem Newtonum felicitate in uſum deducta, tandem in neglectum et abuſum reciderit. Quod, cum ſummo medicorum dedecore, ſummo generis humani malo, non magis in ulla ſcientiae parte, quam in medicina factum; dum Hippocratis ſucceſſores, pulcherrima ejus ſimplicitate contempta, viamque ad excellentiae, finitis mentis humanae viribus denegatum, gradum, affectantes; etiam eo cognitionis, ad quem per modeſtam et diligentem veri inveſtigationem pervenire licuit, exciderunt. Morborum enim cognitionem, horum propria patienter et diligenter perſcrutando, et perſequendo, conſequi dedignati, maxime arcana naturae opera reperiendi, et a cauſarum quaeſtione ad effectuum notionem deſcendendi, vim ſibi vindicarunt. Et, quamvis eam rem reputanti continuo mirum videri poteſt, quod perpetua curationum infelicitas non cito ſuorum eos errorum admonuit, non protinus ad ſimplicitatem et ve-

rum

rum reduxit; multiplex tamen experientia oſtendit, nullum fere ratiocinium, nullam curationum infelicitatem, ad animum praejudiciis vinctum reſolvendum, et errorum, tanquam cari prolis, amorem pellendum, et nudum ante oculos apertos verum ſtatuendum, ſatis eſſe. In hoc errorum complicato itinere, tanquam in labyrintho Cretenſi, ſummum humani generis ingenium, infinitis et caecis meatibus, fatigatum et confectum eſt. Quod ingenium, ſub idoneo moderamine, ad pulcherrima et ſummi momenti reperienda dirigi potuiſſet; cum, e contrario, quod ſummopere dolendum eſt, totum in contemplationibus levibus, vanis, et proximi contemplatoris, qui forſitan haud rectius viſurus ſit, cenſura, diſceſſuris, occupari ſoleat.

Sed, ut ad propoſitum revertar; jam paucas ex innumeris, quae de hoc morbo propoſitae ſunt, opiniones exponam; qui morbus, cum omnium quae de contagioſis morbis dictae ſunt, contemplationum quaſi fundamentum ſit, ideo eum pro hujus inveſtigationis argumento aſſumendum putavi.

Ex infinitis fere morbis, quibus genus humanum affligitur, de nullo plures, et forſitan futiliores, ſententiae, quam de Variola, literis proditae ſunt. Quarum, ubi paulo attentius conſiderantur, pretium omne in argumentorum futilitate, et rerum ad haec tuenda adlatarum levitate, ab auctoribus poſitum eſſe videretur. Itaque ab aëre ſolo variolam eſſe alii * placuit; a vehementibus

* Fernelii Opera.

mentibus animi affectibus, ut alii viſum eſt *; a crapula †; ab exercitatione, ut alius contendit ‡; a medicamentorum violentium vi, ut alius || afferuit; ab humore in glandula renali, ut alius exiſtimavit §; ex emiſſo fluido virulento in obſtructis in medulla ſpinali tubis concluſo, ut alius opinatur **. Eſtque cui vultu ſolo communicari morbus viſus eſt, adeo ut, Baſiliſci inſtar, varioloſus unoquoque intuitu perniciem jaculari, dici poſſet ††. Quin et, contagionem nihil ad variolam creandam valere, minime neceſſariam eſſe, nec hunc adfectum proprie pro morbo habendum, ſed aeque e corporis per vaſorum extenſionem explicatione, ac pilorum promiſſionem, dentium expulſionem, vel pubertatis notas, ſuo quodque tempore, naſci, quidam aſſeruit ‡‡.

Omnes vanas, quae de hoc morbo conceptae ſunt, opiniones ex ea, ubi nunc delitent, obſcuritate, in lucem educere penſum, non laborioſius, quam injucundius eſſet. Sed ſingulas eo conſilio, quo clarius refellantur, examinare et excutere, etiam indignior eſſet temporis abuſus. Quod ita tamen dico, ut, ſi temporis et operae in iis examinandis jactura, opinionum meritis accommodaretur, univerſarum repudiatio neque longinqua

* Bromfield on Inoculation, p. 41. 42. Boyle's Works, vol. 1. p. 513. Fuller's Exanthematologia, p. 189.

† Willis de Febribus, p. 118. ‡ Ibid. || Fuller's Exanthem. p. 188. § Violante de Variolis et Morbillis.

** Hoffmanni Opera, tom. 2. p. 50. Genevae 1740.

†† Kirkpatrick's Analyſis of Inoculation, p. 12.—20.

‡‡ Hahnii Ratio Variolarum, Uratiſlaviae 1751.

qua neque laborioſa fore mihi videatur. Quo, tamen, cum minime interſit, prorſus omiſſo, ad eam, quae adhuc ſua auctoritate valet vigetque, perpendendam, reliquis omnibus ei, quam earum futilitas merita eſt, oblivioni traditis, accingar.

Variolam ſola ei propria contagione, corpori humano admota, naſci, tamdiu obſervatum, tamdiu experientia quotidiana porro confirmatum eſt, ut excellentiſſimi in arte viri, hanc rem aeque demonſtratam, ac quamlibet aliam, exiſtiment *. Qualis utique haec contagioſa materia ſit, inter ſcriptores nondum ullo modo convenit. Cujus etiam obſcurior origo eſt. De qua utraque nihil amplius in praeſentia dicam, poſtea commodiore hujus chartae loco eas conſideraturus; quod ita ſum attentaturus, ut neque rem tam difficilem et impeditam ad ſententiam explicaturum me, neque tam obſcuram illuſtraturum, ut legentium expleam deſiderium, cum neque alienarum neque propriarum obſervationum, idonea copia ſuppetat, promittam.

Poſtquam in Europam variola tranſierat, cumque eam ita medici, ac ſingularis ejus natura, et magna, qua per populos graſſabatur, ſtrages, mererentur, perpenderant; ad eam explanandam, variae contemplationes, variae poſitiones vel hypotheſes, excogitatae ſunt. Illarum maxime peculiares jam (p. 4 et 5.) relatae ſunt. Sed operis in circumfluentibus humoribus fermentatis, cujus Rhazes auctor eſt, latiſſime patuit, maximeque invaluit, et

* Cullen's Firſt Lines. Meadii Opera. Huxham on Small Pox.

et ab omnibus ab illo ad hoc tempus fere recepta eſt, opinio. Quae opinio, ut hoc tempore, defenditur, breviter haec eſt; hic plerorumque ſermo eſt: Contagioſa varioloſa materia, corpore recepta, magnam humorum partem in ſuam vertit naturam; quae, ſic mutata, partim perſpiratione coeca protinus, partim ad puſtulas formandas prius retenta, dein corpore effluit.

Cui opinioni multa favent, multumque ponderis doctorum virorum explicationes * addiderunt. Quam rem prius tamen quam aggrediar, qualis morbus, ab inſitione natus, videatur, et quo modo procedat, haud alienum erit dixiſſe. Quo facto, quam candidiſſime potuero, morbi, ſic excitati, propria cum explanatione vulgo recepta comparabo; dein ab ea comparatione, quae rite fluere videbuntur, ea in concluſionem congeram.

Epidermide brachii ſcalpelli cuſpide paullulum, ſed non ita ut ſanguis ſequatur, elevata, pars infra humore varioloſo, ab alicujus morbo laborantis puſtulis ſumpto, tingitur: Neque faſcia circundatur, aut emplaſtrum imponitur.

Poſtridie diei, quo opus peractum eſt, nihil fere in loco, cui inſita materia ſit, praeter ſolitum apparet. Quarto dein vel quinto die, idem paulo durior ſolito eſſe, et prurire percipitur, et parva veſica, limpidum humorem capiens, cernitur. Et loci facies talis eſt, qualem levis cutis uſtio facere ſolet. Proximo die, rigoris et doloris aliquid in axilla ſolet exiſtere; quod utique ſaepe quoque

* Vid. Meadii Opera. Sydenhamii Opera. Cullen's Firſt Lines. Swietenii Comment. in Boerhaavii Aphor. &c.

que deeſt. Uno die aut biduo poſt, levibus capitis et remittentibus doloribus, horror cito tranſiens, calorque alternans, ſuccedunt, pluſque aut minus ad eruptionem perfectam permanent. Qui, in confluente caſu, tum quoque tantum remittunt, diutius duraturi. Hoc fere tempore ingratus in ore ſapor, malus ſpiritus odor, incidunt, hujus eruptionis, ut obſervantur, pyrexiae proprii. Jam brachii, in quo loco inciſio fieri ſolet, inflammatio rapide ſpargitur, plagamque multae parvae puſtulae, procedente morbo, magnitudine creſcentes, et in latitudinem tendentes, cingunt. Decimo vel undecimo die, inciſus locus circumcirca efflореſcente quaſi annulo, in ſolidi argentei magnitudinem, circumdatur. Hoc tempore ſymptomata febrilia fere remittunt, dolorque cum rigore axillae decedunt. Jamque eruptio primum plerumque, et maxime frequens in vultu, dein ſeriatim in partibus inferioribus, ita ſeſe prodit, ut, quinto poſt febrilia ſymptomata coepta die, perficiatur.

Eruptio primum parvis rubris punctis, vix eminentibus, ſed paulatim in papulas aſſurgens, prodit. In uniuſcujuſque papulae apice, parva veſicula, humorem pellucidum capiens, mox apparet. Hic humor, copia creſcens, papulas, dein ſpheroides puſtulas, elevat. In quibus concluſus humor paulatim prius opacus magis, candidiorque, dein ſubflavus evadens, poſt paulatim in cruſtas, mox aridas futuras, et demum dilapſuras, vertitur.

Sic

Sic plerumque morbus incipit, ſic procedit, et decedit. De exceptionibus, quae haud raro incidunt, ex parte, verba faciendi occaſio, poſtea dabitur.

Hic, ut praedicant, perexigua, perc[illegible]ilis, et prope caeca materiae particula humani corporis partem contingit, cujus partis humores ſibi aſſimilat, ſeu in ſuam vertit naturam. Eadem dein corpus ingreditur, ut glandularum lymphaticarum, quarum ei curſu cundum eſt, rigor dolorque docent. In hoc curſu ſimilem humorum circumfluentium mutationem efficit; qui, pro varia corporis conditione, vel perſpiratione caeca, e corpore prorſus dimanant, vel in cute haerentes puſtulas procreant. Quarum ſingulae minimae particulae, experientia teſte, morbo concitando habiles ſunt. Eſtne igitur, aiunt, ullum cujuſvis materiae, ſic, niſi fermentando, mirabiliter creſcentis, ſeque multiplicantis, exemplum?

Si omnia quae hic conſtituuntur pro certo vera ſunt, nullum eſſe hujuſmodi exemplum, fatendum. Sed non ita, ut mox probare conabor, res ſeſe habet.

Primum hoc opus fermentationem ſui generis eſſe fingere compellimur, et jure equidem; quoniam nullam aliam, quae innotuit, fermentationem refert. Caeteris omnibus fermentationibus quiete opus eſt. E contrario, haec, dum mutanda materia conſtante rapidoque motu circumagitur, procedit. Caeterae omnes fermentationes aëra fixum emittunt, qui in animantis vivae vaſa immiſſus protinus eam extinguit *. Fermentatio, niſi

* Halleri Elementa Phyſiologiae, vol. 2. p. 208.

ſponte, quod non hic accidit, procedit, ſolo fermenti cum materiae fermentandae parte contactu naſcitur; cujus particulae ſic fermento mutatae, ſibi proximas, ſibique quoque continuas, mutant, idque uſque ſit, donec omnes demum mutentur.

Concluſus puſtulis humor gluten eſſe, ſeu lympha coagulabilis, idcirco, quod in pus mutatur, agnoſcitur. Sed quo modo hunc materia varioloſa, cum cutis vera non inciditur, contingit? Immo ſint ſane cutis vaſa inciſa, vel quomodocunque diviſa, viruſque vaſorum fines extremos contingat; an hoc puſtularum circa plagam formationem explanabit? Unicuique puncto ubi puſtula naſcitur, non admovetur virus. Qua igitur ratione ad partes, quibus non admotum eſt, ita defertur, ut earum humores ſibi aſſimilet? Rubris venis, quae non abſorbent, deferri nequit. Et, ſi vel maxime abſorberent, iis materia varioloſa nullo modo ad arteriarum exhalatricium, e quibus humor, puſtulis concluſus, ejici intelligitur, fines, niſi circumfluendi prorſus inverſo ordine, perferri poſſet. Neque abſorbentibus lymphaticis vaſculis defertur; quae recta eam ad ſanguinem perferrent, inchoataque communi fermentatione, multo citius morbum, quam revera accidit, excitarent. Suntne igitur alia vaſa hic ſita, quorum natura, curſus, actiones, immo ſintne omnino, necne, nobis prorſus ignota ſunt, quibus tamen hoc opus peragitur? Aut, an firmorum quoque particulae aſſimilantur, haeque rurſus, quos concludunt humores, invicem aſſimilant?

Aut

Aut igitur circuitus ordinis invertendi, aut propria vaſa, quae eſſe demonſtranda ſunt, inveniendi, aut totam fabricam noſtram unam contagionis maſſam eſſe, contendendi, aut denique opinionis, quam tuentia argumenta omnia infirma ſunt, repudiandae, ad neceſſitatem compellimur.

Etiamſi multi ſcriptores, ii maxime, qui infitionem * improbant, communem infectionem ſaepius incidere exemplis adlatis contendunt; ab altera tamen parte non ſolum graviſſimorum virorum opiniones † ſtant; verum etiam maximorum virorum, qui nunc vivunt ‡, certa teſtimonia, id ſe nunquam vidiſſe affirmantium, et ubi morbus iterum accidiſſe diceretur, aliquem errorem jure ſuſpicandum contendentium, eodem pertinent. Quem errorem incidiſſe, veri quidem ſimillimum eſt; ſi, quae cauſae aliis, hanc rem ſtatuendi eſſent, reputetur, ſi aliorum ignorantia perpendatur, magnaque quorundam morborum, praeque caeteris varicellae, manifeſte tamen alius morbi, cum variola, ſimilitudo conſideretur ‖. Quin et, in collegii medicorum Edinenſium conventu, ut praeceptor noſter Monroius certiorem me fecit, haec ipſa quaeſtio, aliquot ante annis propoſita eſt; ad quam, ſe ſaepius eam rem audiviſſe, ſed nunquam ipſos vidiſſe, uno ore ab omnibus eſt reſponſum.

Nonnulli,

* De Haen Refutation de l'inoculation. Cantwell. Lettres ſur Inoculation, &c. † Dimſdale on Inoculation, edit. 7th. Monro on Inoculation, Swietenii Comment. in Boerhaav. Aphor. 1381. &c. ‡ Illuſtriſſimi Cullenus, Monroius, et Gregorius. ‖ Cullen's Firſt Lines. Heberden, Medical Tranſactions, vol. I.

Nonnulli, quo facilius, quare hic morbus ſemel tantum incidat, explicarent, ad cujuſdam in ſanguine pabuli opinionem decurrerunt *. Quod ſemel deletum, nunquam dein reverſurum, proponebant, eoque pabulo virus ali ſemel tantum judicabant. De qua opinione, ſanguinem morbi ſedem proponente, et inde concluſionem trahente, nulla ſeorſum differendi cauſa eſt.

Periſiſſimi phyſiologi, univerſos corporis humani humores perpetuo mutari, intraque paucos annos, forſitan multo brevius temporis ſpatium, ne unam quidem particulam ſupereſſe, fidem faciunt †. Si ſanguis igitur morbi ſedes ſit, cur is ſaepius non recurrit? Vel potius, ſi quis ſemel morbo laboravit, quomodo ullo deinde tempore ejus expers eſſe poteſt? Nam, progrediente morbo, recens chylus perpetuo ad ſanguinem fertur; ipſe novus ſanguis eſt, eoque aſſimiletur quoque oportet: Ei plus ſuccedet, eandemque ſine fine mutationem neceſſario ſubibet. Hac ratione perpetua materiae aſſimilatio, perpetua ejus e corpore diſſipatio, perpetua renovatio, forent; totieſque puſtulae varioloſae, quoties calor, qui eas ſummopere fovet, ſummo corpori admoveretur, naſcerentur. Quae ſive juſtam formam, ſive non, aſſumerent, perſpirata tamen materia, vel, ex levi quolibet in cute ulcuſculo, pus formatum, ſemper in alio homine morbum generarent. Quod ita non eſſe, quotidiana evincit experientia.

Huic

* Kirkpatrick's Analyſis. Hillary on Small Pox. Lobb on Small Pox.

† Vide Monroii Praelectiones.

Huic concluſioni ſi objiceretur, ſirma ita eſſe mutata, ut non amplius humores, huic fermentationi ſubeundi rurſus habiles, ſed ſolitis tamen et neceſſariis actionibus ſatis accommodatos, creent.

Ad id reſpondendum eſt, quamcunque ex hoc morbo ſirma mutationem ſubierint, ita ut nunquam deinde idem affectus repetat; humores tamen in materiam varioloſam etiam eſſe mutabiles, et ad eandem mutationem denuo ſubeundam pronos. Quam rem verae puſtulae in manibus, brachiis, geniſque earum, quae parvulos, conferta eruptione laborantes, curant, nutricum, ante morbum paſſarum, ſaepe natae confirmant. Quas puſtulas veras eſſe varioloſas hoc evincitur, quod in iis, qui morbo nondum affecti ſunt, eum gignere poſſunt *. Quo in caſu nuſquam puſtulae, niſi in locis, quibus virus recta incubuit, naſcuntur. Cum igitur earum partium humores manifeſto in materiam varioloſam mutabiles ſint; quare circumflui reliqui non etiam aſſimilentur, et puſtulae ſummo toto corpore producantur? Quod inde concludendum eſt, id opinioni minime favet, quae virus, ſanguini innatans, hunc aſſimilare poſſe, proponit.

Res ſpecie ſane formidoloſa, et cui multi ſummam habuere fidem, nunc ſe mihi, nec invito quidem, offert. Foetus in utero, ſcilicet, hoc morbo laboravit. Cujus rei multa teſtimonia ſunt, ſed pauca fide digna; utpote quae longe maxima ex parte, ex obſtetricum et nutricum

* Lond. Medical Obſervations, vol. v. p. 40.

cum fabuloſa garrulitate, tracta ſint; quarum ignorantia et credulitas nullam fidem merentur *. Ex quibus tamen teſtimoniis quaedam ſunt, quae, ob auctorum fidem, etiam a minime ad credendum pronis, attentius audienda ſunt: E quibus omnibus illud, quod ab J. Huntero in Actis Phyloſophicis † relatum eſt, caeteris gravitate praecellat. Eo autore, matrona, ſexto graviditatis menſe, variola ſatis leni et ſine periculo multo eunte, implicata eſt. Vigeſimo et tertio poſt eruptionem coeptam die, e dolore laborans mortuum peperit, cujus univerſa cutis, denſis puſtulis, quarum multae humore repletae erant, obducebatur. Partum inſpexerunt Hunterus et Leake medici, item ingenioſi J. Hunterus, Cruickſhanks, et Falconer; qui omnes, veram variolam eſſe, credere ſe profeſſi ſunt. Ex quibuſdam puſtulis, quae J. Huntero paucos tantum dies nati videbantur, ille, duorum ſcalpellorum cuſpides materia tinxit; quos, cum nulla ipſi variolae inſerendae offerretur occaſio, duobus amicis utendos dedit. Qui periculum veri facere metuentes, inani timore, curioſae hujus quaeſtionis dirimendae pulcherrime oblatam occaſionem corruperunt. Quem tamen partum a matre morbum accepiſſe, omnibus rebus perpenſis, vix addubitandum eſt.

Unde opinio, quam ſubruere tantopere conatus ſum, primum reputanti adeo firmata videri poteſt, ut, quicquid porro contradicere potuero, id omne contemnat. Verum

* Cotunnius de Sedibus Variolarum, p. 174—189. Sir George Baker, Medical Tranſactions, vol. 2.

† Vol. 70.

Verum ne temere tanta lis dijudicetur, et ut id, quod vulgo dici ſolet, *audi alteram partem*, pro jure mihi vindicem; hanc ipſam rem paullo altius agitemus.

Ex hiſtoria ejus, eruptio partus non, ante decimum diem vel amplius poſt maternam, inchoata eſſe videtur. Verumenimvero, materni ſanguinis aſſimilatio, ex opinione vulgo recepta, ante ipſius eruptionem inciderit neceſſe eſt; partus humores, cum eum inter et matrem perpetua ſanguinis permutatio eſſet, aeque prope mature, ac materni, converſi eſſe debebant; eoque partus eruptio, pro paucis puſtulis humore repletis, jamdudum prorſus evanuiſſe. Quin, ut Mead medicus obſervavit, ſi prius partus natus eſt, quam ullus in puſtulis maternis humor ineſſe coepit, partus infectionis expers erit; et caſus fere innumeri auctoribus relati eandem rem confirmant. Verum, ſi materia varioloſa, prius in ſanguine nata, in cutem dein ejiceretur, an id ita ſe haberet? Non ita ſe haberet. Nulla enim ratio reddi poteſt, quare illa materia, non foetum aeque, ſanguini ante eruptionem innatans, ac poſtea, ex puſtulis abſorpta, afficeret. Praeterque id, innumera ſcriptorum fide dignorum, quibus erat nulla hujuſmodi tutanda opinio, teſtimonia ſunt, partum maternae in hoc morbo infectionis expertem permanſiſſe, demonſtrantia *. Duos hujuſmodi

* Smellie's Midwifery, vol. 2. p. 127. 12mo. Mauriceau ſur l'accouchement des femmes, Obſ. 600. Kirkpatrick's Analyſis, Note * p. 21. Phyloſ. Tranſ. vol. 70. p. 130. 131. vol. 71. p. 373. Swietenii Comment. in Boerhaav. Aph. 1381. Dimſdale's Tracts on Inoculation, &c.

juſmodi caſus Georgius Bakerus Eques commemorat *; quorum in utroque, matres inſitione morbum acceperant, pueri tertio aetatis anno, inſitione facta, raram eruptionem habuerant; adeo ut nulli dubitationi locus detur. Similis me caſus certiorem fecit noſter in re obſtetrica hujus academiae ingenioſus Profeſſor, quam ipſe ſe vidiſſe dicebat. Quin et multo illuſtrius exemplum a Georgio Bakero Equite Johannes Hunterus refert †. Ea mulier, inquit, quae hunc morbum praegnans ſatis gravem experta erat, ſolito tempore partum enixa eſt, ita ſummo toto corpore notatum, ut omnes, qui viderent, foſſiculas ex variola relictas eſſe, arbitrarentur; cum tamen, circumacto anno, puer morbum et gravem ſit expertus.

Unum ſolum argumentum iſti opinioni relinquitur, ex Profeſſoris Homii experimentis, quibus ille rubeolam pueris inſerere conatus eſt, adlatum: Ob quem conatum bene ille vir de genere humano meritus videtur. Sed haec experimenta non ad hanc quaeſtionem dijudicandam comparata ſunt. Nam, dum ille medicus morbo ſoli creando intentus erat, in pluribus locis ſcalpello cutem, ubi denſiſſimae maculae erant, eo conſilio ſcalpſit, ut eam ſanguinis partem, quam contagioſa materia plurimum ſaturaſſe videri poſſet, aſſequeretur. Plagulis leviuſculis ſanguis goſſipio abſterſus eſt, quod hoc madens ejus brachio, cui morbus pararetur, admovebatur.

* Med. Tranſ. vol. 2.

† Philoſ. Tranſ. vol. 70. p. 141.

movebatur. In omnibus caſibus, inde ſecuta ſymptomata leviſſima erant, nec amplius XL. circiter maculae toto corpore percipiebantur. Nullae maculae circa plagam, ut in variola, ante communia ſymptomata apparebant. Et puerorum ſic infectorum unus poſtea morbo communi modo affectus eſt *, quae res aeque ab auctoribus in hoc morbo, ac variola, negatur.

Quodque maxime ad noſtrum propoſitum pertinet, non ſic ſanguis, ſed vena, protinus ante eruptionem, excipiendus erat. Atque ex ſanguine vena detracto, non is qui ſecundum brachium defluit, qui materiae contagioſae aliquid e cute abſtuliſſe poteſt, deligendus erat. Hoc igitur argumento diluto ;

Ad ſummam, ne unum quidem in univerſis medicinae annalibus documentum eſt, quo, vel rubeolam, vel variolam, ex ſanguine creatam, oſtenditur. Rei obſtetricae nuper Profeſſor noſter, hujus rei periculum ſaepe, ſed fruſtra ſemper, fecit †. Alter Profeſſor noſter Cullenus, diſcipulum ſuum, cui fidem habebat, nihilo felicius eandem rem in hoc Noſocomio expertum eſſe, mihi confirmavit. Magnus inſitor Sutton, ſic variolam creare cum ſaepe tentaviſſet, ſemper fruſtra fuit ‡. Quinetiam materia varioloſa e laborantibus lue venerea tracta, ut illam, ita non etiam hanc, creavit ‖. Denique, J. Hunterus, qui optime de hominibus, utilibus multis re-

 pertis,

* Medical Facts and Experiments. † Vide Young's MS. Lectures on Midwifery. ‡ Sir G. Baker on Small Pox, p. 9.
‖ Burgeſs on Inoculation. Kirkpatrick's Analyſis, p. 172.

pertis, meritus eſt, ſanguinem non luem veneream inſitione creare, multis experimentis oſtendit.

Eruptio iis corporis partibus propria eſt et continetur, ad quas, cuticula tectas, conſtans aëri aditus eſt. Hoc Cotunnius ideo fieri opinatur, quod hae partes aëre exſiccantur; quod verum non eſt, cum foetus in utero adficiatur, eoque aliquid partium conformationi proprium, in cauſa eſſe videtur. Multi caſus a multis memoriae traduntur, ubi thoracis et abdominis viſcera, et cerebrum ipſum, cooperta puſtulis dicuntur. Quod illi potius gratis aſſumpſiſſe, quam, periculo facto, demonſtraſſe, videntur: Et contrarium prorſus, innumeris inciſionibus, illuſtriſſimi artis anatomicae viri demonſtrarunt *. Atqui, ſi humores circumflui revera aſſimularentur, univerſa viſcera, aeque ac cutis, puſtulis obducerentur.

In iis locis ubi puſtulae, ſimulac matureſcunt, aperire moris eſt, eae ſeptem vel octo vicibus denuo repleri reperiuntur. Qualis ejus, cujus in vaſis tanta hujus materiae copia, cujus minima particula, cuti admota, eam inflammat, circumflueret, et tenerrimas totius machinae partes recta contingeret, conditio quaeſo foret, legentium ſit judicium. Abbas Fontana, venenum viperinum, animantis nervis admotum, non ſuum protinus effectum edere, cujus multo tamen minus, in venam infuſum, prope temporis puncto necare, deprehendit.

Jamque, ni fallor, probavi ſaltem, ſi non liquido demonſtravi, varioloſam materiam in circumfluis humoribus

* Cotunnius de Sedib. Variolarum. J. Hunter, Philoſ. Tranſact. vol. 70. Vide quoque Bonetum, J. C. Fabricium, Peyerum, Hallerum, &c.

ribus nullo fermentationis aut aſſimilationis opere generari; eamque notionem minime ad ea, quae in curſu morbi apparent, explananda ſufficere; contra a vero prorſus abhorrere, et hoc recipiendum eſſe: 'The more 'we know of the human hody, the more reaſon we 'find to believe that the ſeat of diſeaſes is not to be 'ſought for in the blood *.'

Poſtquam aliquis opinionem quampiam refutavit, plerumque ab eo, quanquam forſitan injuria, quaepiam alia, veriſimilior aut probabilior ſaltem, expectatur. Quod utique ille praeſtare non tenetur: Atque etiam, cum non praeſtat, aliquis in priorum opinionum refutatione fructus provenit; utpote quae novam denuo inquirendi occaſionem offerat, et hoc certe,

Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur ultra †,

aliquid eſſe, fatendum ſit.

Cum vero quaſdam de hujus morbi origine et natura conjecturas promiſerim, igitur promiſſum praeſtare videor mihi teneri; quamque ad hoc ſuſcipiendum penſum diffidentiam affero, eam a lecturis liberalitatem, candorem, indulgentiam, atque etiam, ſi opus fuerit, veniam, quae primo juvenili, dummodo auctori non pudor deſit, debentur, operi, ſpero.

'Ea, ut potero, explicabo; non vero quaſi Pythius 'Apollo, certa ut ſint et fixa, quae dixero; ſed ut homunculus unus ex multis, probabilia conjectura ſequens ‡.'

Optimis

* Heberden, Lond. Medical Tranſactions. † Hor. ‡ Cicero.

Optimi auctores, variolam in Europam primum a Mauris, in Hiſpania ſedes locantibus, adductam, dein, per crucis ad Sanctam Terram recuperandam bella, latius diffuſam, produnt.

Quae regio, tamen, ejus ſolum natale ſit, ignoratur. Forſitan prima ejus origo non adeo conſpicua erat, ut in ſe hominum animadverſionem converteret, aut a multis cutis morbis, in quos orientis incolae, et prae caeteris Arabes, adeo ſunt proclives, idonea diſcrimina ſuppeditaret. Multarum regionum incolas morbis, nuſquam alibi, niſi quantum per contagionem diffunduntur, incidentibus, opportunos eſſe, hoc evincitur; quod lues venerea ab aliqua Indiae Occidentalis inſularum retro repetita eſt, et peſtis ſemper ab aliqua regionum Aegeo mari et Propontidi finitimarum, adferri comperitur.

Quae cauſae ſint, quibuſdam regionibus et earum incolis propriae, quae in illis ſolis eos morbos generent, adhuc nobis ignotum eſt. Recentes obſervationes, morbos, qui raro contagioſi ſunt, aliquando contagioſam naturam ſumere, docuerunt. Fordyce medici digiti, laborantium ſebre miliari cutem contingendo, ejus eruptionis participes evaſere. Neque dubitandi cauſa eſt, quin, ſi ea materia etiam potentior fuiſſet, eam latius ejuſdem generis affectum fuiſſe communicaturam. Eryſipelas, quod raro contagioſum eſt, in Noſocomio noſtro contagione non carere, haud ſemel repertum eſt. Quae quanquam res recentes ſunt, cauſae tamen, per quas ii morbi contagioſi facti ſunt, nondum innotuere.

Aliquas

Aliquas res, nobis hoc tempore prorſus incognitas, quae nunquam ante egerunt, et forſitan nunquam poſtea agent, ad ultimos effectus, ſine illarum amplius ope, duraturos edendos, concurriſſe; triticum quoddam, rubra culma glumaque rubra, exemplo eſt. Hujus paucae ſpicae primum in agro regionis Oxonienſis, quinquaginta abhinc annis, repertae ſunt *; quarum ſemina, frumentum prorſus idem, quamvis nunc in diverſiſſimis ſolis coeliſque cultum, procreare perſtiterunt.

Similes cauſae in uno aut pluribus hominibus ad ſtatum, quo tum laborabant, ita variandum, ut contagioſa, de qua hic agitur, materia gigneretur, poſſunt concurriſſe; et ſemel edita contagio, per propriam naturam alias afficiendo, ſeſe multiplicare; et ea quidem ratione, ex certo loco per totum terrarum orbem, ſe diffundere. Quod, ſi quamdiu contagio ſuam ſervet poteſtatem †, et quam variis modis communicetur ‡, reputemus; quo modo tam longe lateque morbus patuerit, rationem reddere poterimus; nec ulla cauſa, quare in ullo loco, praeter eum ſolum, ubi primum apparuiſſe intelligitur, proveniſſe credatur, quaerenda erit.

De varioloſae materiae natura multiplex fuit controverſia, acidaque et alkali ad ejus effectus explanandos advocata ſunt. Morton eam callidum, acre, et colliquens venenum, appellat: Sed, ſi talis fuiſſet materia, ipſius

* Plott's Hiſtory of Oxfordſhire.

† Werlhoff de Variolis et Anthracibus, Note 36. p. 16—17. Lind on Fevers and Infections, paſſim.

‡ Kirkpatrick's Analyſis, Note * p. 212.

ipſius curandi ratio, ejus effectibus tollendis non perquam congrua, fuiſſe videtur.

Si tamen primos ejus, maxime conſuetos, et manifeſtos, effectus perpendamus; eam pro potentiſſimo et acerrimo corporis humani ſtimulo, oportet habeamus *; Et omnis in ultimis ejus effectibus varietatis cauſam, in ejus, qui affectus ſit, quibuſdam proprietatibus, quaeramus †.

Infectionis modi ad tria, ni fallor, capita redeunt.

Primus per inſitionem erit; cujus curſus jam fuſius eſt deſcriptus. Ejuſdem vero, quae mihi probatur, explanatio haec eſt; ſcilicet, materia varioloſa partem, ſatis ſenſibilem, ut ab eo afficiatur, contingens, ita cutis illic nervos afficit, ut vaſa ibidem materiam, omni ex parte, ei quae admota eſt, eandem gignant. Hic nervorum partis affectus creſcens, ſeque diffundens, tandem ad ſimilem toto genere nervoſo gignendum, par evadit: Ex quo ſymptomata febrilia excitantur, et ſummi corporis vaſa materiam varioloſam generant.

Quaedam materiae, morboſo quarundam corporis humani partium affectu genitae, aliis admotae, talem actionem illic, qualis ad eas multiplicandas pertineat, concitare poſſe, a lymphaticis glandulis clariſſime illuſtratur; quae, admota abſorpta materia, ſine ullo fermentationis genere, cancroſi evadunt. Eandem rem etiam illuſtriorem

* Home's Principia Medicinae, p. 192.

† Cullen's Firſt Lines, Art. Small Pox. Swietenii Comment. Aph. 1382. Meadii Opera.

illuſtriorem lues venerea facit; cujus virus tenerae parti admotum, parvulum ulcuſculum creat; quod rurſus ſimilem materiam procreat. Et noſter rei anatomicae jure celebratus praeceptor, multos ante annos, morboſum hunc adfectum multo altius, quam ut eo virus penetrare poſſet, ſitum eſſe, eoque, quo facilius ille tolleretur, totam partem, ſic morbo affectam, neceſſario delendam, deprehendit *. Quare adfectus in cancro et lue venerea, non aeque celeriter, ac in variola, per corpus latius diffundatur, non meum eſt explanare. Quam rapide ex localibus affectibus ad totum corpus morbi diffundantur, documento ſunt, tetanus, e levibus vulneribus ortus, eruptio ex ſalmone comeſo, vel oculis cancrorum adminiſtratis, naſcens †. Ejuſdem rei etiam clarius in rabie canina exemplum eſt; ubi locus morſus, quanquam ſaepe hebdomadas, menſes ‡, immo annos ||, conglutinatur, ſemper inflammat, et lancinantes ſecundum brachium dolores, ante ſymptomatum communium adventum, ſentiuntur §; idemque ſemper in variola, ex inſitione, accidit. Sed virus vulneri in rabie canina infuſum, in caſibus relatis, toto temporis inter morſum et juſtum morbum ſpatio, permanſiſſe, non eſt credibile. Nonne multo rationi conſentaneum magis, virus per actionem ſuam in partis, ut inſtrumenti, conformatione

* Monro. Praelectiones.

† Cullen's Lect. on Mat. Med. 4to, p. 8. 9.

‡ Meadii Opera.

|| Apperly on Small Pox, Lond. 1731.

§ Sir G. Baker, Medical Tranſact. vol. 2. p. 322.

inatione mutationem morboſam feciſſe; et hanc, licet totius corporis morbo protinus concitando imparem, uſque perſtitiſſe, quoad incognitae cauſae tantopere id augerent, ut hoc efficere poſſet. In inſitione quoque ad variolam creandam, plaga ex toto conſolidari, et poſt aliquot dies recrudeſcere, ac inflammari, et inde morbus ſupervenire, obſervata ſunt *. Quin et, cum eo tempore, quo magnam plagam facere moris erat, ſaepe nulla infectionis per quatuordecim, vel etiam plures, poſt inſitionem dies, ſigna prodiiſſe memoriae tradantur; inde credendi cauſa eſt, ſi plaga minus ampla fuiſſet, eam, ante infectionis ſignorum adventum, ex toto fuiſſe coalituram. Saepe morbus, ſine ullo axillae rigore aut dolore, advenit; ſed pars tamen inflammatur, et in ea, atque interdum in humero, dolores lancinantes ſentiuntur: Unde, virus in circuitu, ad totius corporis ſymptomata, concitanda non neceſſarium eſſe, patet. Cumque axillae rigor dolorque, ſympathicorum in gonorrhoea bubonum more, magna ex parte ex inflammationis in parte magnitudine pendeant, et minime cum puſtulis illic formatis connectantur; hae igitur mihi ſaepe ſine abſorptione incidere, nec ullo modo varioloſam materiam ſanguine recipi, oſtendere videntur.

Alter infectionis modus eſt, ubi materia varioloſa recta ad ſanguinem, nec ulli ſummi corporis parti prius admota, perfertur. Quod mihi, ubi foetus in utero afficitur, ſemper accidere videtur: Idemque puero acci-

diſſe

* Dimſdale, p. 47. 48.

diſſe veriſimile, qui, ut Cullenus ornatiſſimus in ſuis praelectionibus memorat, cum pluribus varioloſis cruſtis cum cibo devoratis morbo implicatus eſt. Quibus in caſibus, utrum, dum circumfluis humoribus innatat materia, an inter ejus per cutem tranſitum agat, nequeo dijudicari; niſi quod illud eo mihi veriſimilius eſt, quod, ante eruptionem, fibrilia ſymptomata prodiere.

Tertius infectionis modus is eſt, quem, cum vulgo, naturalem nuncupo. Qui, ut mihi videtur, in omni caſu a varioloſa materia, vaporis aut odoris forma, nervis olfacientibus admota, pendet. Hujuſmodi vapor, non ſolum olfaciendi inſtrumento manifeſtus eſt, prout ex eorum, quos magna eruptio obſidet, corporibus exhalatur; ſed, in quibuſdam vehementibus confluentis generis caſibus, ab oculis etiam percipi dictus eſt *. Contagioſa corpora a graviſſimis auctoribus, ſuos morbos maxime ſubito et violentiſſime tum concitari, cum olfaciendi ſenſum afficiebant, obſervantur †. Vehementiam et celeritatem hujus effectus metus inſigniter auxiſſe repertus eſt ‡. Condemnata foemina ab illuſtri medico Mead, inſitione more Chinenſi tractata, ſcilicet turunda viro tincta in nares inſinuata, magno capitis dolore, et febre protinus poſt inſinuatum virus, adfecta eſt, multoque magis iis, quibus noſtra more per plagulam inſerebatur materia, paſſa eſt. Quae adminiſtratio apud

* Cotunnius de Sedibus Variolarum, p. 13.

† Diemerbroeck de Peſte. Lind on Fevers and Infections. Swietenii Comment. Cotunnius, loc. cit.

‡ Swietenii Comment. Aphor. 1383. Cullen's Firſt Lines, art. Small Pox.

Chinenſes adeo infelix eſt, ut, cum liberos numerant, variolam nondum paſſos praetereant *.

Quia materia contagioſa in hoc caſu, non ſolum in partem latiorem, ſed etiam ſenſibiliorem, magiſque cum cerebro et ventriculo conſentientem, quam quaelibet cutis aequa pars eſt, agit; eo fit, ut totius corporis ſymptomata prius inducantur, quam tempus, quo puſtulae in parte prius affecta, efficientur, detur. Fierique poteſt, ut haec ſubita, qua, quaſi totum genus nervoſum, afficitur commotio, vehementiorem variolam, quam, ubi haec ab inſitione oritur, efficiat. Nauſea, vomitus, ventriculi capitiſque dolor, et ſimilia, quae inter prima morbi, hac ratione facti, ſymptomata ſunt, ex principiis propoſitis facile explicabilia ſunt; neque, ut nonnulli opinantur, ad ea creanda, contagioſa materia cum ſaliva, ventriculo recepta, opus eſt. Magnus cerebri ventriculique, et univerſi quidem generis nervoſi, cum olfaciendi inſtrumento, conſenſus, in epilepticis et hyſtericis paroxyſmis, quae odores quidam ſaepe excitant conſpicuus eſt. Sternutatio porro, gravedo, faucium calor et teneritudo, tuſſis titillans †, item convulſio ‡ coma, et ſimilia ||, quae, inter prima vehementis morbi naturalis, interdum percipiuntur; denique, pervicaces generis nervoſi affectus, quos poſt ſe variola reliquiſſ animadverſ

* Lettres Edif. et Curieuſes, tom. 20. p. 319. et 335.

† Huxham on Small Pox, p. 140.—141.

‡ Cullen's First Lines, art. Small Pox, &c.

|| Sydenhamii Oper. Cullen's Firſt Lines, &c.

animadverſa eſt *, meam ſententiam confirmant, et variolam aeque generis nervoſi, ac typhum, prolem eſſe demonſtrant. Nec plurima, ubi aegri, quamvis valde parca fuit eruptio, omnibus debilitatis, et ad putredinem proclivitatis, ſymptomatis, perierunt, deſunt exempla †. Illuſtriſque noſtri in medicinae uſu in hac academia profeſſoris doctrina, qua ille, in typho pariter ac podagra, concoctione et expulſione materiae morbificae refutatis, pathologiam humoralem jugulavit, hanc opinionem haud levi pondere firmat.

Ex ſupra expoſitis, febrilia ſymptomata, magnam et neceſſariam morbi partem eſſe, videbor conſideraſſe; haec in curatione praecipue ſpectanda eſſe, puſtulaſque, prorſus ſymptomaticum affectum, nulla cum morbo neceſſaria copula, conjungi. Quam opinionem multi caſus, a Barone Dimſdale commemorati, tuentur; ubi interdum poſtridie inſitionis diei, interdum non niſi octo diebus poſt, plaga inflammabatur, dolores in ea, quaſi aciculis facti, et nonnunquam in humero, ſentiebantur; frigus, vertigo, capitis dolor levis, et aliquando calor febrilis, ſuccedebant. Quae omnia, et brachii ſimul inflammatio, cito diſcedebant; nec aut ea aut quaelibet alia morbi ſymptomata, quanquam inſitio renovata eſt, et cum aliis in omni morbi tempore commercium inſtitutum,

* Kirkpatrick's Analyſis, p. 89. 90. 91. 95. Monro's account of Inoculation, p. 48. Glaſs's Letter on Small Pox.

† Schultz's account of Inoculation, p. 17. Monro on Inoculation, p. 38. caſe 26. cum multis aliis.

tutum, unquam poſtea reduci poterant. In omnibus his caſibus, ne una quidem puſtula, etiam in inciſa parte, ſeſe oſtendebat *. Schultz medicus ſeptem hujuſmodi caſus teſtatur, et multo plures refert †. Ingenioſiſſimus Monroius medicus, Profeſſor ipſe, Profeſſoris et Praeceptoris noſtri pater, et cujus ipſum nomen laus eſt, tres hujuſmodi caſus memorat ‡. Et Boerhaavius 'nihil,' inquit, 'repugnet, morbus varioloſus ſaepe ſine variolis 'fit.'

Symptomata ſummopere auctae, in genere vaſculoſo phlogiſticum habitum in hoc morbo habentium, actionis, ſaepe magna debilitas, proſtratae vires, et fractum robur, ſequuntur, excitationem collapſu ſubſequente ‖. Sed in debilibus et irritabilibus prima ſymptomata ſaepe ſummae debilitatis ſunt. Utriuſque caſus eadem explanatio eſt. In priore, corporis vigor, vel vis vitae, magna fuit, ac proinde vehementer aucta actio contagioni ſucceſſit; cum, in poſteriore, vis vitae tantilla eſſet, ut prope opprimeretur; unde, pro aucta actione, ſumma debilitas et ad putredinem proclivitas, ſuboriuntur.

Cum varioloſam materiam ab extremorum in ſummo vaſorum actione pendere prorſus poſuerim; inde copiam ejus pro eruptionis portione futuram et humorem perſpirabilem,

* Dimſdale, caſe 4. 5. 6. 8. 9. 11. 12.

† Account of Inoculation, p. 94.

‡ Account of Inoculation in Scotland, p. 24.

‖ Cullen's Inſtitutions of Medicine.

perſpirabilem, ſine eo, quem exhalant puſtulae, morbum efficere nequire, ſequi videretur. Nec eam notionem non Dimſdalianus et Suttonianus uſus plurimum confirmat; qui ſaepe eum, cui morbus dandus erat, una cum iis, qui leni morbo laborabant, prius continebant, quam opus perficeretur *. Cumque in eadem domo aegrotaturi permanſuri erant, cum aliis in omni morbi tempore verſari, permittebantur, nec, etiamſi per multos poſt inſitionem dies, nulla infectionis ſigna inciſio oſtendebat, ſemel tamen quenquam omnium naturalis infectio prehendebat. Quod cum ita ſit, nullus tamen paulo prudentior medicus eum, cui per inſitionem morbus dandus eſſet, cubiculum, ubi alius eruptione confluente laborabat, ingredi pateretur; cujuſmodi in plurimis caſibus nonnulli peſſimis ſymptomatibus correpti perierunt †. Semperque infectionis magnitudinem pro puſtularum numero et pravitate eſſe, Dimſdale teſtatur ‡.

Quod totius corporis affectus varioloſus nunquam, niſi ſemel, incidit, ut mihi videtur, a quadam nervoſi generis mutatione pendet, qua eadem, quae egit, poteſtas, quo minus ſic iterum agat, prohibetur. Quae haec mutatio ſit, quove modo efficiatur, neſcio: Sed innumerae res, ſtimulorum in corpus agentium, effectus, ejuſmodi eſſe, qui ſuam deinde ſuper idem corpus actionem,

* Sir George Baker, Medical Tranſactions, vol. 2. p. 310.

† Cotunnius, p. 14. Swietenii Comment. Aph. 1383.

‡ Thoughts on General and partial Inoculation, Lond. 1776.

actionem, perpetuo fere minuant, et aliquando, ut in hoc caſu, omnino fere deleant, oſtendunt *. Verum, ſi fieri poſſet, ut contagioſae materiae tantum unicuique aequae corporis parti, quantum iis nutricum partibus ubi formantur puſtulae, admoveretur, quin univerſo corpore communis affectus ſequeretur, neutiquam eſt dubitandum. Sed, propter mutationem quae jam incidit, harum partium affectus ad totum corpus deferri non poſſunt, eoque nullus totius corporis inde morbus naſcitur.

Intenſiſſimi frigoris, quod in curatione ſaepe admovetur, felicitas, in imminuendo, aut omnino prohibendo, eam, quae ſummopere inflammationem cutis in hoc morbo ſtatum ſequi ſolet, eruptionem, ſic explicata eſt, quaſi tenſionem illic imminueret, et, varioloſae materiae, una cum perſpirabili, affluendi copiam faceret. Sed frigus, quod adhibetur, ſaepe tantum eſt, ut totam ſuperficiem imminuat, et cutem anſerinam, quae ſemper ſpaſmi et perſpirationis imminutae ſigna eſt, creet; quapropter, et, in aliis caſibus, ubi perſpiratione aucta opus eſt, ut in catarrho, ubi phlogiſtica quoque diatheſis eſt, frigidus aër vitari, niſi cum exercitatione ſatis magna ſimul conjungitur, praecipi ſolet. Unde mihi frigidus aër, potis et lavatio frigidae †, nivis applicatio ‡, humorum, ſive arte, ſive non, jactura, ſolum inflammationem ſuper cutem imminuendo, et puſtulas

* Cullen's Mat. Med. 4to, p. 240. 241.

† Ruſh, Medical Obſervat. and Inquiries, vol. 5. p 38. Rhazes de Variola.

‡ Praelectiones Culleni.

puſtulas naſci, eodem modo prohibendo, quo, inflammatione ſoluta, phlegmon curatur, videntur agere. Dum minimum febris permanet, etiamſi tam exiguum eſſet, ut ab aegrotanti percipi non poſſet, formari puſtulae poſſunt. Quin et ſaepe accidit, ut ſecunda puſtularum ſeges, multos poſt priorem dies, tum ſuccreverit, cum aliquis, ſe ſanum prorſus exiſtimans, ad victum pleniorem, et exercitationem paulo vehementiorem, redierat *. Nonne ſecunda in diſcreta variola febris, hujuſmodi cauſarum ſaepe effectus eſſe, poteſt? Ex ſupra dictis, eruptionem non eſſe febrilis eo tempore remiſſionis cauſam, ſed effectum, manifeſtum eſt.

Cum puſtulae rite non replentur, aut cum, ex turgidis, ſupervenientibus debilitatis ſymptomatis, flacceſcunt, aut, ut dici ſolet, ſubſidunt; medici omnia mala quae ſequuntur ſymptomata, materiae morbificae, in ſanguinem retropulſae, tribuentes, eo cardiaca conſilio dant, quo illa rurſus ad cutem reducatur. Sed propriam hanc virtutem nullas medicinas habere, manifeſtum eſt; quarum ſola virtus eſt, vim vitae ſuſtentare, et ad eum vigorem, qui ad renovandam et provehendam ante coeptam ſuppurationem idonea eſt, corpus excitare.

Pervicaces oculorum inflammationes, et phthiſipneumonia, quae variolam ſequuntur, ſemper a materia morbifica corpore retenta, et in partes affectas tranſlata,

* Dimſdale, p. 52. 53. 54. Bromfield on Inoculation, p. 76. Schultz, p. 124.

lata, pendere exiſtimatae ſunt. Quod, ſi verum eſſet, ad perquam incertam malamque curationem neceſſario duceret. Quae enim tollendi morbi, remanente cauſa, ſpes eſſe poſſet? Nullae enim medicinae notae ſunt, quae, particularum, e quibus partes laborantes conſtant, mutationem maturare poſſint. Eam opinionem ſine omni firmamento eſſe, ex iis quae expoſitae ſunt, neceſſe eſt. Cumque ophthalmia diu ſaepe poſt variolam, immo aliquando per longam vitam, perduret, quo tempore unaquaeque materiae morbificae particula ablata ſit neceſſe eſt, permanet tamen morbus. Affectus igitur cauſa in morboſa partis laborantis mutatione quaerenda eſt; cujus mutationis in phthiſi forſitan aliqua ex parte totum corpus particeps eſt: Hanc tolle, morbum ſuſtuleris. Quae haec morboſa mutatio ſit, non audeo explicare; ſed manifeſtus ſtatus eſt, cujus praecipuum et maxime urgens ſymptoma debilitas eſt.

Jam opus propoſitum abſolvi; a graviſſimis auctoribus res veras accepi; nihil, quod non a propoſitis argumentis ſponte oriri videbatur, in concluſionem detorſi; ubique verum ſedulo perſequi conatus ſum; quam feliciter, judicent lecturi. Hoc tuto ſaltem dicere licet,

————————————*if vain the toil,*
We ought to blame the labour, not the ſoil.

Prius

Prius vero quam finem imponam, liceat mihi, hujus Academiae Profeſſoribus grati animi debitum, ob libera eorum de multis hujus chartae partibus conſilia, maximeque meo in Uſu Medendi illuſtri Praeceptori, agere; cujus praeceptis ſcientiam, conſilio ſecundam valetudinem, debeo: Qui, ut diu ſummi momenti officio ei credito, cum pari ſuo honore, et commodo publico, fungatur, inter prima ſcriptoris vota eſt.

F I N I S.